AUGUSTINUS
Admont, 12. Jh. Seite 86r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift



animus aut bonus angelus aut bonum celum. sed bonum bonum. Sic enim forte
facilius aduertitur quam ueli dicere. Cum enim audio uerbi gratia quod dicitur bonus
animus. sicut duo uerba sunt ita ex eis uerbis duo quedam intellego. aliud
quod animus est aliud quod bonus. Et quidem ut animus esset non egit ipse aliquid;
non enim iam erat quod ageret ut esset. ut autem sit bonus animus. uideo agendum
esse uoluntate. non quia idipsum quod animus est non est aliquid boni. Nam unde
iam dicitur et uerissime dicitur corpore melior. Sed ideo non dicitur animus bonus
quia restat ei actio uoluntatis quam sit prestantior: quam si neglexerit
iure culpatur rectequ; dicitur non bonus animus. distat enim ab eo quod hoc agit
et quia ille laudabilis. profecto iste quod non hoc agit uituperabilis est. Cum uero
hoc agit studio et fit bonus animus. non se ad aliquid conuertat quod ipse non
est. non potest hoc assequi. Quo se autem uertit ut fiat bonus animus non ad bonum
cum hoc amat et appetit et adipiscitur. Unde si se rursus auer
tat fiatque non bonus hoc ipso quo se auertat a bono. non maneat in se
illud bonum unde se auertit non est quo se iterum si uoluerit emendare
conuertat. Quapropter nulla essent mutabilia bona non esset incommuta
bile bonum. Cum itaque audis bonum hoc et bonum illud quod possit alias
dici etiam non bona. si potueris sine illis quae participatione boni bo
na sunt perspice ipsum bonum cuius participatione bona sunt. simul enim et
ipsum intelligis cum audis hoc aut illud bonum. Si ergo potueris illis de
tractis per seipsum perspice bonum. perspexeris dominum. et si amore inheseris
continuo beatificaberis. Pudeat autem cum talia non amentur non quia bona sunt.
eis inherendo non amare bonum ipsum unde bona sunt. Illud etiam quod animus
tantum quia est animus etiam nondum eo modo bonus quo se conuertit ad incommu
tabile bonum sed ut dixi tantum animus. cum ita nobis placet ut eum etiam
omni luci corporee cum bene intelligimus preferamus. non in seipso nobis
placet sed in illa arte quam factus est. inde enim approbatur factus ubi uidetur